



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. iv. Vtrum Logica sit as alias scientias necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Secunda ob-
iectio.

Obiicitur secundò. Illa scientia simpliciter speculatiua est, quæ modum operandi docet & demonstrat modo speculatiuo: huiusmodi est Logica, quia directio mentis operationum non fit à Logica nisi speculando naturam & proprietates operationum rectarum; sicut Geometria speculatiua est, quia licet doceat quomodo faciendæ sint figuræ, speculando tamen hoc docet: ergo Logica non est minus speculatiua, quàm Geometria.

Resp. negando, Logicam docere modum operandi modo speculatiuo; nam versari circa operabile modo operabili, ut dixi, est tradere regulas & modum, quo illud fieri debet; hoc autem facit Logica, ideo non versatur circa operabile nisi modo operabili. Neque obstat quod versetur circa operationes illas speculando; nego enim satis hoc esse ut dicatur versari circa operationes modo speculatiuo, cum Logica cognoscat ut operetur, quod est versari modo operabili. Geometriam fateor esse purè speculatiuam, quia non facit, nec docet modum faciendi figuræ, sed supponens eas iam factas, illas tantum speculatur, sicut Physica corpus naturale factum aut factibile supponens, illud speculatur.

Logicam esse
practicam
simpliciter.

Dico secundò, Logicam ita esse simpliciter practicam, ut nullo modo speculatiua sit, etiam secundum quid. Ita docent Recentiores cum Ochamo, Gregorio, Gabriele, Fonseca, & Conimbricenses contra Suarezem, Vasquezem, Hurtadum, Auerfam. Ratio generalis est, quia nulla est scientia purè naturalis, quæ possit esse speculatiua simul & practica. Quod sic probò. Implicat ut vna & eadem scientia tendat in plura obiecta formalia essentialiter diuersa, & nullo modo inter se connexa: scientia speculatiua & practica tendunt in obiecta formalia diuersa essentialiter, & nullo modo inuicem connexa: ergo implicat ut scientia vna naturalis speculatiua sit & practica. Maior certa est, quia scientiæ specificantur ab obiectis formalibus adæquatis; quoties autem diuersa sunt obiecta, & nullo modo connexa, sunt obiecta adæquata. Minor ergo probatur. Operabile ut sic, & non operabile ut sic, sunt obiecta formalia diuersa essentialiter: scientia practica respicit operabile ut sic, speculatiua respicit non operabile ut sic: ergo illa respiciunt obiecta formalia diuersa.

Probatio.

Dixi, scientiam naturalem esse non posse speculatiuam simul & practicam; habitus enim supernaturales, qualis est fides, esse possunt speculatiui simul & practici, quia illi sæpè nituntur extrinseco motiui, atque aded in illis ratio speculatiui & practici se tenet ex parte obiecti materialis, non autem ex parte obiecti formalis. Non implicat ut idem habitus habeat obiecta materialia essentialiter diuersa, cum ab illis non specificetur: implicat ut habeat obiecta formalia diuersa essentialiter.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Illa scientia est speculatiua, saltem secundum quid, in qua multæ habentur cognitiones speculatiuæ; per quas intellectus non dirigitur in suis actibus: Logica multas habet huiusmodi cognitiones, v.g. istam: *Definitio non distinguitur à definito: Genus latius patet quàm differentia*: ergo, &c.

Resp. negando minorem; nullus enim actus est in Logica, qui ad directionem operationum mentis non ordinetur, quia illæ non pertinent ad Logicam nisi sub ea formalitate; alia verò quæcunque consideratio earum pertinet, ut dixi, ad Animasticam. Duæ illæ propositiones allatæ in argumento: *Definitio*, &c. ordinantur ad directionem operationum mentis Logicæ propriam; debet enim illa scire quod definitio distingui non debeat à definito, ut tradat

regulas rectæ definitionis, quod illa v.g. latius patere non possit quàm definitum.

Obiicitur secundò. Cognitio proprietatum quas habent operationes mentis, est speculatiua; nam eodem modo sunt syllogismi, siue cognoscantur illæ proprietates, siue non cognoscantur: cognitio illa pertinet ad Logicam: ergo Logica notitias habet verè speculatiuas.

Secunda
obiectio.

Resp. quasdam esse proprietates operationum mentis, quarum cognitio non pertinet ad Logicam, sed ad Physicam; illæ possunt esse speculatiuæ: quæ verò pertinent ad Logicam, ordinantur ad opus, quia licet sine cognitione illarum fieri fortasse possint syllogismi, non possunt tamen scientificè fieri. Nam ut facias syllogismum scientificè, scire debes, quare ita facias; sique cognita tibi debent esse proprietates.

SECTIO IV.

Verum Logica sit ad alias scientias necessaria.

Certum est primò, posse duobus modis aliquid esse necessarium. Primò, simpliciter: secundò, secundum quid. Necessitas simpliciter est quando res haberi nequit sine tali medio, ut respiratio simpliciter ad vitam est homini necessaria. Necessitas secundum quid tunc esse dicitur, quando potest sine tali medio aliqua res haberi, sed difficilius: potes v. g. sine rheda, vel equo ire Romanam, sed difficilius.

Duplex ne-
cessitas.

Certum est secundò, scientiam aliquam posse duplici modo acquiri; vel perfectè, vel imperfectè. Perfectè quando aliquis habet demonstrationem, & certò nouit illam esse demonstrationem: imperfectè, quando habet demonstrationem, sed non scit illam esse demonstrationem; tunc enim reuera scit, sed non scit se scire.

Scientia
perfecta &
imperfecta.

Dico primò, Logicam naturalem esse simpliciter necessariam ad acquirendas, etiam imperfectè, alias scientias.

Necessitas
Logicæ natu-
ralis.

Ratio manifesta est, quia sine vi discursiua nemo acquirere potest scientiam discursiuam: Logica naturalis est vis discursiua; ergo nullam scientiam acquirere quisquam potest sine Logica naturali.

Dico secundò, Logicam etiam artificialem esse simpliciter necessariam ad perfectè acquirendas alias scientias; non esse absolutè necessariam ad eas imperfectè acquirendas.

Necessitas
Logicæ arti-
ficialis.

Ratio est, quia quisquis perfectè aliquam habet scientiam, debet scire se scire, alioqui dubitare poterit utrum sciat; perfectæ verò scientia omnem excludit formidinem, etiam potentialem: sed sine artificiali Logica nemo scit se scire. Quod probò. Quicumque non scit se habere demonstrationem, & non sophisma, ille potest dubitare: sed qui Logicam non habet artificialem, non scit se habere demonstrationem, & non habere sophisma: ergo qui Logicam non habet artificialem, potest dubitare an erret.

Obiicitur primò. Si Logica esset ad acquirendas alias scientias necessaria, esset etiam necessaria ad acquirendam se ipsam, quod absurdum est, quia sic Logica se ipsam præsupponeret. Neque dicas, Logicam imperfectam esse necessariam ad se ipsam perfectam. Contrà enim est. Logica perfectæ est ad alias scientias acquirendas necessaria: ergo est necessaria etiam ad se ipsam. Deinde nemo dat quod non habet: ergo Logica imperfecta non potest dare perfectionem Logicæ perfectæ.

Prima ob-
iectio.

Resp.

Resp. negando Logicam esse necessariam antecedenter ad se ipsam, sicut est ad alias scientias necessaria. Disparitas manifesta est, quia Logica per se ipsam formaliter scit se scire, alia scientia non hoc habent nisi ab ipsa Logica: vnde Logica formaliter sibi sufficit ad sciendum perfectè, alia hoc habent à Logica. *Quod autem est essentialiter tale, est se ipso tale.* Aliorum responsio de Logica directà, seu imperfecta, quæ necessaria est ad se ipsam reflexam & perfectam, obscurior est, & difficilior.

Secunda ob-
iectio. Obicitur secundo. Logica non est acquisita nisi per reflexionem super actus rectos: ergo est posterior aliis scientiis acquisitis, atque adeo ad eas acquirendas non est necessaria.

Resp. distinguendo maiorem. Logica non est acquisita nisi per reflexionem super actus rectos perfecte scientificos, nego; super actus rectos imperfecte scientificos, concedo. Ideo Logica est acquisita post alias scientias imperfecte acquisitas, sed acquisita est ante alias scientias acquisitas perfecte; quia qui primos illos actus eliciebant, sciebant rem, sed non sciebant se scire.

Infantia. Instabis : actus imperfectus gignere non potest perfectum habitum scientiæ : isti actus erant imperfecti : ergo gigni per eos non potuit scientia Logicæ nisi imperfecta.

Resp. actum imperfectum non posse gignere habitum scientiæ perfectum, ita vt sit causa illius adæquata, sed posse gignere tanquam causam inadæquatam, & conditionem sine qua. Per vim intellectus vt causam non potuit gigni Logica perfecta: non fuit acquisita perfecta scientia per actus illos vt causam adæquatam, sed per illos vt præuias conditiones, quibus positis, intellectus vi sua naturali se extendit, & perfectam peperit scientiam.

Tertia ob- Obiicitur tertiò, Intellectus per vim suam natu-
jectio. ralem potest se reflectere supra suas operationes, &
videre, an illæ rectæ sint; sed hoc sufficit vt sciamus
nos scire: ergo ad hoc vt sciamus nos scire, neces-
saria non est Logica artificialis.

Resp. distinguenda maiorem, intellectus per so-
lam naturæ vim potest reflectere se supra suas ope-
rationes, & videre an illæ rectæ sint, perfectè id
sciendi, nego; sciendi imperfectè, concedo. Nun-
quam enim id perfectè sciet sine Logica artificiali,
cuius hoc est munus proprium.

DISPV TATIO II.

*De iis, quæ iuvant directionem
primæ mentis operationis.*

CVM tota Logica, vt dixi haftenus,
circa directionem occupetur trium
mentis operationum, à prima mihi
operatione, quae apprehensio est sim-
plex, video ducendum esse initium, cuius reſtitudo
tribus eius vitis reſignat: obſcuritatem perſpicui-
tatis diſcutit, conſuſionem ordo componit, perturbati-
onem regulat diſtinctio eorum, quae diuerſa ſunt.
Hae tria vt aſſequi valeam, explicanda mihi: Primò,
ens rationis. Secundò, prædicabilia. Tertio, prædi-
camenta.

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

QVÆSTIO I.

De Ente rationis.

ENs rationis merum nihil, & tamen aliquid : entis negatio, & tamen entis indutum vestimentum : tenebrosum quid, & in ipso fonte luminis natum : partus rationis se ipsam fallentis, figmentum mentis ludentis in nihilo, spectrum informe formam habens in sinu intellectus. Nascenti dum cogitatur, cum ipsa sui cogitatione moriens, cum eadem sine miraculo resurgens : pingitur sine coloribus, imago sine prototypo, nulli similis nisi sibi. Agere de illo Metaphysici magis est muneris, quam Dialectici, quia entis realis larva, & aduersarius est. Vindicare sibi tamen illud Logica, & quatuor de illo tradit. Primò, eius existentiam, seu an sit. Secundò, quidditatem, seu quid sit & quomodo. Tertìo, à quo fiat. Quartò, per quam fiat actionem.

SECTIO I.

De existentia entis rationis.

Certum est primò, significari nomine *entis rationis*, aliquid pendens ab intellectu, qui solus ratio est. Potest autem aliquid ab intellectu pendere quadrupliciter. Primò, subiectivè, cuius subiectum est intellectus; sic enim actus & habitus inhaerent intellectui vt subiecto. Secundò, effectivè, cuius causa productiva est intellectus; ita etiam procedunt ab intellectu omnes eius intellectiões. Tertio, denominativè, quod ab aliquo denominatur actu intellectus, vt cum aliquod denominatur proposito, syllogismus, &c. Quarto, obiectivè, quod obicitur intellectui, seu quod ab eo cognoscitur.

Certum autem est secundò, quod ea quæ obiectiue sunt in intellectu, in duplici possunt esse differentia. Primò enim aliqua ita sunt obiectiue in intellectu, vt habeant à parte rei suum esse, saltem possibile, quod representatur intellectui; & hæc entia realia sunt. Secundò, aliqua sic cognoscuntur ab intellectu vt nec habeant, neque habere possint esse à parte rei, sed solum dicantur esse quatenus cognoscuntur ab intellectu, quorum scilicet totum esse est cognosci. Hæc sunt quæ propriè vocantur entia rationis, & quæritur, an sit aliquid huiusmodi ens, quod sic fingatur ab intellectu, vt totum esse illius sit cogitari, & obiecti rationi.

Dico primò, dari plura huiusmodi entia nullo modo realia, & purè non entia, quæ solummodo per modum entis cognoscuntur. Hæc est communis sententia, quam immetitò improbant Mixandus lanus, Mayronis, Vallesius.

Ratio est, quia constat experientia, quod à nobis multa concipiuntur eodem modo ac si essent, quæ in se ipsis neque sunt, neque possunt esse. Chimæra enim & hircoceruus, neque sunt, neque possunt esse; & tamen concipiuntur ab intellectu eodem modo ac si essent. Illa sunt entia rationis propriè dicta, non enim habent esse nisi obiectivè in ipsa ratione, & concipiuntur quasi essent vera entia; ergo dantur propriè dicta entia rationis. *Probatio.*

Dico secundò. Ens rationis propriè dictum non Assertio po-
omni duntaxat caret existentia reali actuali, sed sterior.

B 2 etiam